

hora Missæ ibidem populo congregato, prædicta Vannia, ut est juris per Presbyterum publicentur. (*) At disertius Trident. Sess. XXIV. Ref. Matrim. cap. 1. sanxit, ut ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. (1)

XX. Ubi sponsi diverse sunt Parochiæ, in utraque Proclamationes, sive denuntiationes faciendæ sunt: *Nec in Matrice tantum Parochia, sed etiam in quilibet alia, ubi Populus aderit frequentior, inter Missarum solemnia Parochus denuntiet, inter quos sit matrimonium contrahendum.* I. Syn. Provinc. Neap. cap. 40. In Populi Conventu ab ipsis Parochis clara voce Matrimonium contrahendum proclametur, et nomina denuntiatorum in valvis Ecclesiae adfigantur. II. Syn. Prov. Neap. Tit. III. cap. 9. Denuntiationes quandoque convenit omittere: id quod Ordinarii prudentiæ arbitrioque relinquuntur: Syn. Trid. ibid. (**) Eorum enim, qui Matrimonium contrahere volunt, denuntiationes, non in alterius tantum, sed in utriusque Parochiis fiant, in quibus vel nati sunt, vel diuturnum domicilium constituerunt; et omnino ubi eorum conditio, et mores erunt notiores. Eas tamen publicas denuntiationes, vel differre, vel omittere nulli Parroco liceat, nisi ex solius Episcopi, non autem Vicarii etiam Generalis auctoritate: Syn. Provinc. Tolet. an. 1582. Act. III. Decret. 47. alias 48. Hodie tamen solius Vicarii Generalis auctoritate, vel omnes, vel earum aliquæ denuntiationes dispensantur. (*)

XXI. Ut dubitationibus, quæ, ex domicili mutatione suboriri solent, consultatur, in eadem Parocia tres ejusmodi proclamationes ne fiant, nisi uterque, vel alter sponsus saltem quatuor ante mensibus ibi domicilium collocarit; breviori autem elapso tempore una quidem in ea, ad quam recens commigrarunt; duæ reliquæ, unde discesserunt, peragantur: II. Syn. Prov. Neap. ibid.

XXII. Post ultimum denuntiationum diem de diebus, quibus hæ factæ sunt, tum et de nominibus, cognominibus, patria, et contrahere volentium Parochia, de quæ impedimentis, si quæ fuerint opposita, Parochus fidem faciat. Si verò post denuntiationes intra bimestre tempus nec ipse ut fidem faciat fuerit rogatus, nec matrimonium celebratum fuerit, denuntiationes denuo fiant, nisi aliter Ordinarius censuerit: Utraque Syn. Provinc. Neap. ibid. (2)

XXIII. Unicus Proclamationum *finis* ille est, scilicet ut impedimenta, si quæ revera sint, detegantur; qua de re graviter monendus est populus, ut illa Parocho, vel Ordinario manifestare non renuat, (**) quatenus gravissima, quæ ex impedimentorum reticentia sequuntur damna, gravem arguant illa detegendi obligacionem. (*) *Pænas in sua Diæcesi constitutas, aut constituendas incurrat quisquis, aut falsum impedimentum imposuerit, aut verum sibi compertum reticuerit:* II. Syn. Provinc. Neap. ibid. Postremo Parochus Matrimonium in Ecclesia publice per proclamationes non denuntiet, nisi prius Sponsorum voluntatem, et libere præstandum contrahendi Matrimonii consensum exploret: simulque eos de Fidei rudimentis percontetur: quos si minus instructos deprehenderit, sedulo erudire non negligat: eadem Syn. Neap. ibid.

(1) Conc. mex. III, Lib. IV, tit. I, § IV, et Lex I, tit. III, part. IV.

(2) Denuntiationibus deficientibus, Siquis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere presumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendæ careat, idque multo magis in eo qui consummare ausus fuerit. Conc. Trid. Sess. XXIV de reform. matrim. Cap. 5. vide etiam leg. IV, tit. III, et leg. II tit. XV, part. IV.

CAPUT NONUM.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

I. Impedimenti vocabulum hic ea notione usurpamus, quæ significat quidquid matrimonium irritum reddit, vel illicitum. Jam porrò ex impedimentis alia matrimonium nonnisi illicitum faciunt, at contractum non dirimunt, ea propter *impedientia* appellata; alia verò etiam invalidum, irritum, sive nullum reddunt, quæ *dirimentia* vulgo nuncupantur.

II. Impedimenta Matrimonii alia jure naturæ constituta sunt, alia jure positivo civili, vel Ecclesiastico, alia demum ex ipso nubentium facto oriuntur. Synodus quidem Tridentina Sess. XXIV. de Sacram. Matrim. Can. IV. definit: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* At verò quum in Matrimonio, et ratio Sacramenti inspici possit, et ratio Contractus civilis, hinc nonnulli ceteroquin gravissimi Theologi, et Canonistæ docent, posse Principem Sæcularem ex genere, et natura sue potestatis matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis, ex justa causa suis legibus indicere: Ita Thomas Sanchez de S. Matrimonii Sacramento Lib. VII. Disp. III. n. 2. quin et ibidem subnecit: *Nec obstat Principis Sæcularis potestati, matrimonium esse Sacramentum.* Quia ejus materia est contractus civilis, qua ratione perinde potest illud ex causa justa irritare, ac si Sacramentum non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, et sic illegitimum, et invalidum contractum. Tum et aliam addit rationem ibid. scilicet: *Quum potestas Regia ad tranquillitatem, et bonum Reipublicæ tuendæ sit potissimum instituta, ejus est id, quod ad hunc finem obtinendum desideratur, providere.* Quale est circa Matrimonia ineunda sancire, illa impediendo, et irritando. Inde enim maxime pendet tranquillitas, et recta Reipublica gubernatio. Quare egregie D. Thomas IV. contra Gentes cap. 78. et Lib. IV. Sentent. Distinct. XXXIV. quæst. un. art. 1. ad 4. dixit; matrimonium in quantum contractum civilem in officium communitatis institutum subiacere legis civilis Ordinationi: Eandem sententiam tuetur Petrus Soto Lect. IV. de Matrimonio, qui et ipse eam ex D. Thoma hausisse videri vult ob hæc Angelici Doctoris verba modo indicato Lib. IV. contra Gentes cap. 78. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinata in hunc finem, et sic dicitur esse naturæ officium: in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subiacet Ordinationi legis civilis; in quantum igitur ad bonum Ecclesiæ ordinatur, oportet ut subjaceat regimini Ecclesiastico. Tum et Christianus Lupus Dissert. I. Proœm. cap. 10. Tom. IV. Schol. in Canones, cuius hæc sunt verba: *Etenim matrimonio, quod non solum Christianum Sacramentum, sed et civilis contractus sit, dirimentia impedimenta statuere, dudum sibi adrogarunt, ac reservarunt Christiani Romanorum Augusti.* Idem pluribus demonstrant Schol. in Can. XI. Concilii Romani habitu sub Nicolao II. et quidem tun ex legibus Imperatoriis, tun etiam ex monumentis Ecclesiasticis: dein concludit: *Antiquitus Laicus Princeps impedimenta matrimonii uti constituebat, ita et dispensabat.... et hoc jure Occidens dudum vixit. Etenim apud Aurelium Cassiodorum exstat solemnis formula, qua Occidentis Princeps etiam tunc solebat Consobrinis ineundi conjugii facultatem, seu dispensationem rescribere, ac impertiri. Domibus Cardinalis Cæsar Baronius existimat Consol-*

brinorum, immo et ulteriorum graduum conjugia fuisse Christianis longe prius interdicta, ideoque laudatas leges definire de solis conjugiis gentilium. Verum hucusque adducta lucide erincunt aliud. Et horum impedimentorum constitutio, ac relaxatio dudum spectarunt ad Principem Augustum. Observant tamen, et ingenue sicutentur hi Auctores illam potestatem jamdiu Ecclesie fuisse reservatam. Unde Petrus Soto ibid. Quamquam civiles leges in his omnibus ex pietate certe, et voluntate Principum facile cesserint Ecclesie, ut jam nullum censeatur Matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non judicat. Tum explorati juris est, Ecclesiam semper, vel à prima ætate, jus suæ potestatis in impedimentis Matrimonii constituendis exercuisse, ut late Juveninius *Tract. de Sacramentis*, aliquique passim.

ARTICULUS I.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

III. Antiquitus crimina quævis poenitentia publica plectenda impedimento erant, ne matrimonium contraheretur. Hinc *Can. V. et VIII. Causs. 33. Q. II.* occisoru uxoris suæ inter ceteras poenitentiae exercitationes injungitur uxorem nunquam ducere. Et *Can. XX. Causs. 32. Q. VII.* ex Concilio Moguntinensi post indicata enormia quædam scelera, iis irretitos nunquam in posterum conjugio copulari posse decernitur.

IV. Jam verò secutis temporibus impedimenta ex criminis impedientia pñne exoleverunt: quæque hodie vigent præcipua sunt: *Ecclesiae vetitum, Tempus feriatum, Sponsalia votum.*

V. *Ecclesiae Vetitum:* scilicet ubi Episcopus vel Parochus prohibitionem edant de non contrahendo ob dubium impedimenti alieujus, donec veritas innoscatur. *Cap. 2. de matrim. Contrac. cont. inter. Eccles. Cap. ult. de Clandest. despons.* Item prohibitio Concilii Lateran. IV. et Concilii Trident. de non ineundis nuptiis sine præmissis proclamationibus, vel earundem dispensatione. (1).

VI. *Tempus feriatum, sive clausum.* Hujuscem impeditamenti antiquitatem prodit Syn. Laodicena *Can. LII.* Non oportet in *Quadragesima, aut nuptias, vel quelibet natalitia celebrare.* Tum nonnulla deinde habita Concilia alia addiderunt tempora, præsertim jejuniorum. (**) scilicet a *Septuagesima usque in Octavam Paschæ, et tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Joannis Baptiste, et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam:* *Syn. Ilerd. Cap. III. in Fragn.* Vel ab Adventu Domini usque ad festum S. Hilarii, à Dominica Septuagesima usque ad Dominicam in Albis, à Dominica proxima ante Ascensionem usque ad festum SS. Trinitatis, uti Andreas Albalatus in laud. Constit. Syn. Constit. de *Matrimonio;* cui consonat Alphonsus Sapiens *Leg. XVIII. Tit. II. Part. IV.* (*) Quia in re quam varia esset ubique disciplina, Synodus Tridentina ut dissidentes Ecclesiarum mores componeret, ac simul tempus clausum nimium prolixum aliquantum contraheret *Sess. XXIV. Ref. Matrim. cap. 10.* hanc sanctionem edidit: *Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi, usque in diem Epiphanie, et a feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive antiquas sollemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus præcipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.* Tum ibid. *Can. IX.* anathema infligit in eos, qui dixerint prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis

(1) Legg. I. et IV. tit. III. part. IV.

anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab *Ethnicorum superstitione projectam.*

VII. Porro hactenus dicta solemnam duntaxat conjugum benedictionem respiquant, easque pompas, ac solemnes apparationes, que nuptias comitantur, haud verò ipsum contractum matrimoniale coram Parocho, et testibus. Ad rem I. *Synodus Provinc. Neap. Cap. 40.* *Quum nuptiae interdicti dicantur ab Adventu Domini usque in diem Epiphanie: rursus a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive, doceant Parochi populum, duo tantum eo tempore ab Ecclesia prohiberi: quorum alterum est, solemnis benedictio conjugum: alterum vero, ne domum viri cum choreis, musicis, aliisque solemnitatibus nova uxor traducatur.* (**) Tum *Syn. Arandens. ad Durium Can. XVI.* Nos contendentes, quod vera sacrorum Canonum intentio fuit, non tam Ecclesie solemnitates, et nuptiales benedictiones, quam carnales commixtiones.... strepitus, choreas, joculationes, et alias solemnitates, ac convivia, temporibus, quibus solemnia Ecclesiae interdicuntur, et cessant, nuptiales benedictiones fieri de cetero prohibenus, statuentes, ut qui contra hujusmodi nostræ Constitutionis tenorem nupserit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrat. (*) *Expresius Rituale Rom. de Sacramento Matrimonii: Meminerint Parochi a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphanie, et a Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive solemnitates nuptiarum prohibitas esse; ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia.* Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Quod verò ex jam inolita consuetudine id juris obtineat, ut nuptiae eodem tempore, quo contrahuntur, publice etiam in Ecclesia benedicantur, hinc mos quoque viget, ut per illud clausum tempus sine Ordinarii venia nuptiae non celebrentur.

VIII. *Sponsalia:* Scilicet jus alteri quesitum ad futuras nuptias ex præviis sponsalibus, modo hæc non sint dissoluta. Et sane violaretur in re gravi fides alteri data et promissio onerosa ei facta, et ab eo acceptata, ut ab initis sponsalibus quis resiliret: *Can. L. Causs. 27. Quest. II.* Ceterum de Sponsalibus satis *Tit. super. (1)*

IX. *Votum:* Scilicet Votum simplex castitatis, sacrorumve ordinum, vel habitudinum suscipiendi religiosum, aut profitandi in religione, vel demum non nubendi: *Can. XV. et XVI. Causs. 32. Q. II. et Cap. 4. et 6. Qui Clerici vel vorentes &c.* (**) Et *Syn. Tolet. III. Can. X. (1) (2)*

X. Atque hæc quatuor præcipua sunt Impedimenta matrimonii impedientia: quibus addi possunt 1. Dissensus parentum: *Concil. Trident. Sess. XXIV. Ref. Matrimon. cap. 1. 2. Probatio status liberis: Cap. 19. de Sponsal.* 3. Discussio cuiuslibet impedimenti in judicium delati: *Cap. 27. ibidem.* 4. Poenitentia publica ob enorme aliquod crimen: *Cap. 2. de Pœnitent. et remiss. Can. V. et VIII. Causs. 33. Quest. II.* Ac demum 5. Catechismi ignoratio ex Constitutione 42. *Benedicti XIV. Bullar. Tom. I.*

XI. Hisce autem Canonicis, sive Ecclesiasticis impedientibus matrimonii impedimentis adconsentur quoque et alia Civilia, quæ aliquando Principes adposuerunt. Id tum ex pluribus, tum etiam ex nonnullis regiis Neap. Sanctionibus in Diatriba Isagogica indicatis manifestum est. Hinc 1. Fridericus II. sanxit, ut Comites, Barones, aliquique feuda possidentes, nisi petita Regis venia, neque ipsi

(1) Lex. I. tit. I. part. IV.

(2) Lex. XI. tit. II. part. IV. idem declarat quo ad votum simplex.

uxores ducant, neque filios, filias, aut nepotes nuptui tradant. Constit. *Honorem nostri Diadem.* Tit. *de uxore non ducenda.* 2. Carolus I. Andegavensis vetuit sine mandato Curiæ matrimonia iniri cum filiis, aut filiabus proditorum: Cap. *Satatis constat.* Tit. *Quod nullus.* Porro 3. Carolus II. Andegavensis matrimonia quidem cum filiis banditorum permisit, exceptit tamen crimina hæreseos, et læsæ Majestatis: Cap. *Humanitatem quoque,* Tit. *de filiis banditorum.* Tum 4. ipsem est Carolus II. in Capitolis ab Honorio IV. firmatis, Comitibus, et Baronibus, nulla impetrata Regis venia, matrimonia inire permisit; dummodo tamen feuda in dotem non constituerentur, et contrahentes non essent suspectæ fidei. Postremo 5. ex Caroli Borbonii olim Regis nostri Ordinationibus Militares matrimonia contrahere vetantur, nisi prius Regis veniam consecuti fuerint.

(**) XII. Quod ad Hispaniam attinet plura hujus generis constituta esse impedimenta, tum Regiis Sanctionibus, tum etiam Regni consuetudinibus perspicuum est. Hinc 1. moribus jam pridem inductum est, ut Infantes, Dukes, Comites, Marchiones, Regis à Secretis, majorisque notæ Aulæ famulis, eorumque filii nonnisi ejusdem Regis adsensu impletato Matrimonium ineant; neque Auditores cuiusvis Regni Tribunalis, neque Supremi Consilii Ministri, sine ejusdem Consilii Præsidio, aut Gubernatoris adsensu, neque hic absque Regis adsecuta licentia Matrimonium inire possint; id quod confirmatur Pragm. Sanct. 27. Martii an 1776. §. XI. et XIV.

2. Alphonsus Sapiens Provinciarum Præsidibus inhibuit intra suæ jurisdictionis limites uxores ducere: *Leg. II. Titulo XIV. Part. IV.*

3. Carolus V. prohibuit ne Gubernatorum Tribunalium, Judicium, vel Consiliatorum filii cum eorumdem Tribunalium litigantibus Matrimonium contraherent: *Leg. XXV. Tit. IV. Lib. II. Novæ Recop.* Tum ipsis, et eorum filiis vetitum est pro Indiarum Regnis sub pena privationis ab officio, et stipendio à *Leg. XXXII. Tit. XVI. Lib. II. Novæ Recop. Indian.*

4. Alphonsus XI. interdixit famulis cum domini filiabus, vel consanguineis in ipsorum domibus habitantibus contrahere, sub pena relegationis; et eam infrigentes capitali sententia puniendos sanxit: *Leg. II. Tit. I. Lib. V. Novæ Recop.*

5. Tum militibus à Significo ad inenunda conjugia Regis venia exspectanda est, pluresque conditiones observanda: *Ordin. Montis Pii an. 1761. confirma. pref. Pragm. Sanct.*

6. Postremo ex mox land. *Pragm. Sanct.* filii familias viginti quinque annis ætate inferiores, utriusque sexus, et cuiusvis conditionis illi fuerint, à parentibus, vel tutoribus, aut senioribus consanguineis expostulare tenentur consensum ad ineundum Matrimonium, quem nisi petierint, tam hi, quam eorum filii, et successores omnium omnino effectuum civilium jure carebunt, scilicet dotis, legitimæ hæreditatis, aut necessariae, vel voluntariæ successionis; vinculi etiam, patronatus, aut cuiuslibet juris perpetui successione, et possessione privantur; et tum hi, tum ab eis progeniti in vocatione remotioribus postponuntur, ita ut ad sequentem ordine, vel gradu hæc jura transferantur, quæ quidem nisi omnium lineis descendantium extinctis recuperare non possunt. Si vero hujus Legis infractores postremi fuerint descendantium, præfata jura ad priorem in transversali linea transeunt, et iis duntaxat lineis extinctis, ad rectam infractorum lineam redeunt. Viginti quinque annis maiores, etsi non consensum, consilium tamen sub præfatis pénis exquirere debent à parentibus &c. (*) (1)

(1) Nota bene leg. XVIII. tit. II. lib. X. Nov. rec.

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII DIRIMENTIBUS.

XIII. Impedimenta Matrimonii dirimentia licet plura, ac varia, omnia tamen ad quatuor Capita revocari posse videntur, scilicet, ut alia 1. matrimonium diriment ex defectu consensu, alia 2. ex defectu naturæ, alia 3. ab Religionis sanctitate, ac demum 4. alia ab sanguinis propinquitate.

§ I.

DE IMPEDIMENTIS, QUÆ MATRIMONIA DIRIMUNT EX DEFECTU CONSENSUS.

XIV. Hujusmodi sunt 1. *Error,* 2. *Simulatio,* 3. *Dementia, sive Furor,* 4. *Vis,* 5. *Metus,* 6. *Raptus sponsæ.*

XV. Ac primo error vel est circa personam, vel circa qualitatem, vel circa conditionem. Error circa personam irritum reddit matrimonium jure naturali, tametsi nullus ex altera parte dolus intercessit, neque error matrimonium anteivit, sed illud duntaxat est comitatus. Quamvis enim contrahens, detecto etiam errore, matrimonium contraxisset, semper tamen constat eo tempore, quo contraxit, consensum defuisse; id quod satis est, ut matrimonium sit nullum ex defectu consensu: *Cap. 2. et 4. de Conjugio servorum.* (1)

XVI. Error circa qualitatem hoc est circa personæ dotes, uti nobilitatem, dignitas, virtutem &c. matrimonium non dirimit, tametsi alterius contrahentis dolus ei causam dederit; quum non desit consensus absolutus in personam, cum qua contractus initur. Excipe tamen, ubi ejusmodi qualitatis error errorem personæ simul conjunctum habeat; e. g. si cui volenti primogenitam ducere, obtrudatur secundogenita, quam non novit: item ubi consensum præstes sub ejus qualitatis conditione, circa quam erratur: e. g. quum dicas: *Accipio te in uxorem, si es virgo, secus te non accipio.* Binis hisce casibus matrimonium dubio procul est nullum ex defectu consensu: animus enim contrahentis ita in determinatam qualitatem fertur, ut nolit prorsus cum persona contrahere, si ei illa desit qualitas: *S. Thomas in IV. Sentent. Dist. XXX. Q. I. art. 2 ad 4. et 5.* (2)

XVII. Error circa conditionem. Conditionis nomine hic intelligitur status servitutis. Jam vero servi alii sunt domestici, qui operas suas hero locant, pacta pro iisdem mercede; alii adscriptiti, seu glebae, qui excolendis certis quibusdam agris sunt addicti ad quemcunque dominum hi spectarint, alii demum sunt servi stricte sumti, et proprius dicti mancipia, in quos dominus plenum habet, et absolutum dominium, scilicet eos vendendi, locandi, et in iis, quæ ipsi magis libuerint, operibus occupandi. De servis domesticis, et adscriptiis nulla hic quæstio: quum enim vere liberi sint, matrimonia, si quæ cum iisdem contrahantur, valida sunt, licet servilis eorundem conditio ignoretur.

XVIII. At ad mancipia quod attinet: jure Romanorum, quod antiquitus secura videtur Ecclesia, conditio servilis contractum matrimonium dirimebat: atque inter personas servilis conditionis non matrimonium, sed contubernium esse censebatur: *Leg. XIV. Dig. de Ritu Nupt.* Porro Ecclesiam conjugia inter ejusmodi personas, ubi consensus dominorum non intervenisset, pro nullis habuisse, atque adeo dirimi

(1) Lex X. tit. II, part. IV.

(2) Radem.

permisso, patet tum ex S. Basilio *Epist. Canonica ad Amphiliocium Can. XLII.* ubi docet conjugia inter servos esse fornicationes, et tum primum *firmitatem accipere, ubi conjugio domini adnuerint;* tum ex Canone quodam Concilii Cabilon. II. relato à Gratiano *Can. VIII. Causs. 29. Quæst. II.* quo servorum conjugia adprobantur ubi *per voluntatem dominorum fuerint inita;* tum demum ex eo, quod medio sèculo XII. Archiepiscopus Salisburgensis Hadrianum Papam consuluerit; num servorum matrimonia invitis dominis inita valida habenda sint, an potius nulla. Hadrianus quidem respondet, ejusmodi matrimonia nulla ratione esse dissolvenda: at ex eo colligi posse videtur, tunc temporis primum antiquum jus abrogari cœpisse; atque inductam distinctionem inter *scienter*, et *ignoranter* cum personis servilis conditionis contrahentes, quam adhibet Gratianus, ut antiquos Canones conciliat cum apocrypho quodam Julii P. decreto, quo æque servorum, ac ingenuorum matrimonia indissolubilia pronuntiantur: *Can. I. Causs. 29. Q. II.*

XIX. Igitur jure novo, ubi personæ servilis conditionis inter se matrimonium ineant, aut etiam una libera sit, altera serva, hujusmodi matrimonia sunt valida; modo illa servilem alterius conditionem non ignore: *Cap. 1. de Conjug. servorum.* At contra nulla sunt, ubi persona libera cum serva contrahat, quam credit esse liberam: *Can. IV. Causs. 29. Quæst. II. Cap. 2. et 4. de Conjug. servorum.* (**) Imò conjunctiones istæ servorum cum ingenuis Canonici simul et Civilibus legibus semper habitæ sunt illicitæ: *Syn. Tolet. IX. Can. XIII. et XIV. ac For. Judic. Libro III. Tit. II. de Nuptiis illicit.* (*)

XX. *Simulatio:* Ex defectu quoque consensus nuptiæ simulatae nullæ sunt; scilicet ubi quis simulato alterius nomine conjugium ineat cum muliere quam *non proposuit dicere in uxorem, nec unquam consensit* in eam, quum in hujusmodi conjugio nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi valeat inventi. Namque ex altera parte dolus adfuit, et ex altera defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale: *Innocent. III. in Cap. 26. de Sponsal. et Matrimon.*

XXI. Eadem ratione Dementia, sive Furor matrimonium dirimit, ubi vel continua sit, vel licet interrupta, in ipso tamen nuptiarum momento eam viguisse constiterit: argumento ducto ex *Can. XXV. Causs. 32. Quæst. VII.* (1)

XXII. *Nihil consensui tam contrarium, quam vis, aut metus:* Leg. CXVI. Dig. de Regul. Juris. Unde ex defectu consensus irrita quoque sunt matrimonia per vim, aut metum inita: ubi tamen vis, aut metus non levis sit, sed gravis, sive ut loquitur Honorius III. in Cap. 28. de Spons. et Matrimonio *talis metus inventiatur illatus, qui potuit cadere in constantem virum.* Profecto ejusmodi vis, aut metus, ubi injuste ad consensum exprimendum inferatur; adhæc et tam grave malum immineat, vel imminere verisimiliter credatur, ut hominem aliquo prudenter ad aliquid agendum moveret, quod alias, non esset facturus; dubio procul matrimonia hac ratione contracta nulla sunt: *Cap. 14. et 15. ibid.* Secus vero, ubi malum imminens, sit adeo leve, vel tam parum verisimiliter timeatur, ut inde vir prudens, et constans ad agendum moveri non consuescat. Ceterum in dijudicando, num metus gravis fuerit, an levis, personarum sexus, conditio, aliæque *circumstanciae* inspicienda sunt: *Glossa ad Caput 6. de Is. quæ vi. metusre causs. fiunt.* Tum prudenti judicis arbitrio relinquuntur definire, metus, aut vis levis ne fuerit, an gravis. *At quid si metus juste incutiat?* e. g. quum *Judex* carcerem aliquam pœnam minetur juvehi, ni contrahat cum puerilla, quam sub matrimonii promis-

(1) Lex VI, tit. II, part. IV.

sione stupravit. Hujusmodi matrimonium validum omnino est: *Cap. 10. de Sponsalib. et Cap. 2. de Adulter.* (1)

XXIII. *Raptus:* Legibus Imperatoriis gravissimæ adversus raptore pœnae inveniuntur sancite, uti videre est in Codice Theodos. *Lib. IX. Tit. XXIV. de Raptu Virginum, vel Viduarum,* et in *Leg. unic. Cod. Justinianeo eodem titulo.* (**) *Lib. III. Tit. III. a Leg. I. For. Judic. Leg. II. Titul. X. Lib. IV. For. Legum. Leg. III. Tit. XX. P. VII.* quæ ultimo supplicio plectendos raptore decernunt, et confiscationem bonorum omnium in favorem raptæ; quinimmo *Lex. IV. Tit. XXIII. Lib. VIII. Novæ Recop.* homicidii pœna eum eximit, qui raptorem interficerit, sive puellam jam cognoverit, vel non. (*) At quod matrimonia spectat, Justinianus indicata *Leg. un.* sanxit ne unquam raptæ raptori matrimonio conjungatur, ne accedente quidem consensu mulieris raptæ, vel parentum ipsius. Idem quoque constitutum occurrit in Capitularibus Regum Francorum, ac præsertim *Lib. VI. cap. 69. et Lib. VII. cap. 349.* Porrè secutis temporibus illud juris obtinuit, nimurum, ut ubi raptæ, quæ prius dissensit, consensus intervenierit, validum haberetur matrimonium: Ita Innocentius III. in *Cap. 7. de Raptoribus &c.* Denique Concilium Trid. *Sess. XXIV. Ref. Matrim. cap. 6.* provide sanxit, ejusmodi matrimonium haud validum habendum, nisi raptæ à raptore separata, et in loco tuto, ac libero, constituta consentiat. Tum *ibid.* excommunicatio ipso facto incurrienda, aliæque pœne in raptores, eisdemque consilium, auxilium, aut favorem præbentes infliguntur.

§ II.

DE IMPEDIMENTIS, QUÆ MATRIMONIA DIRIMUNT EX DEFECTU NATURÆ.

XXIV. Ejusmodi impedimenta duo præcipua sunt; scilicet *Defectus ætatis*, et *Impotentia.* Ex defectu ætatis irrita censuratur matrimonio impuberum: *Cap. 10. de Despons. impub.* nisi proximi pubertati, et simul ob præmaturam corporis habitudinem ad naturale generationis, vel conceptionis opus apti sint: *Cap. 3. 9. et 14. eod.* Cujus rei iudicium Episcopo diœcesano relinquit Benedictus XIV. in *Constitut. 51. Bullarii Tom. II.* Senibus vero generatim indulget Ecclesia conjugium, tanquam infirmitatis remedium, et humanitatis solatum: (**) August. *de Bono Conjug. Cap. III.* et colligitur ex *Can. 1. Causs. 27. Q. II.* (2)

XXV. *Impotentia*, sive inhabilitas ad naturalem coitum, quæ matrimonium anat, modo perpetua sit, licet ex unius duntaxat conjugis parte, matrimonium nullum facit: *Canone XVI. XVII. et XIX. Causs. 27. Q. II.* *At quid, si dubium sit, num impotentia matrimonium præcedens perpetua sit, an temporalis?* hoc sane casu matrimonium inire nefas est: at ubi jam contractum sit, triennum experientiae conjugibus conceditur, ut adhibitis mediis possibilibus, ac licitis impotentiam auferre conentur: quo elapsio triennio, et impotentia adhuc persistente, matrimonium dissolvitur, atque adeo licet impotentiam tantummodo relativam esse constiterit, permititur tamen conjugibus ad alia vota transire: *Cap. 5. de Frigid. &c.* aut etiam simul cohabitare; ea tamen conditione, *ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores:* *Cap. 4. eod.* id quod intelligas, ubi nullum adsit incontinentiae periculum; quod raro accidit. (3)

(1) Lex XV, tit. II, part. IV.

(2) Ampliatur haec doctrina in legg. IV et VI, tit. II, et VI, tit. I, part. IV, necnon Concil. mexic. III, lib. IV, tit. I, §. VII.

(3) Vide legg. I, II, et V, tit. VIII, part. IV.